JUV. GRAT. DIV.

JOH. GEORG DUVERNOY

MED. DOCT.

TENTAMEN INAUGURALE

DE

COLENDA

CITO, TUTO ET JUCUNDE

LUCINA

IN PUERPERIO,

DIE 3. NOVEMBR. MDCCXVI.

QUO RENUNCIARETUR

P. MEDICINÆ PROFESSOR

EXTRAORD.

IN ALMA EBERHARDINA,

RESPONDENTE

JACOB. ADAM. ZENCK, Oeting. Suevo.

PUBLICE IN AUDITORIO MEDICO

VENTILANDUM.

TUBINGÆ,

Literis HIOBI FRANCKII.

SERENISSIMO POTENTISSIMOQUE
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
EBERHARDO
LUDOVICO,
WIRTEMBERG. ET TECCIÆ
DUCI,
COMITI MONTBELGARDENSI,
DOMINO IN HAIDENHAIM,
&c &c.
S. CÆSAREÆ MAJ. & S. ROM. IMP.
NEC NON INCLYTI CIRCULI SUEVICI GENERALI CAMPI MARESCHALLO, DUARUMQUE LEGIONUM EQUESTRIS CÆSAREÆ ET SUEVICÆ PEDESTRIS CHILIARCHO. &c.

PRINCIPI AC DOMINO SUO
CLEMENTISSIMO.

Regimen pacatum, & fata undiquaque prosperrima & exoptatissima devotissimo animo vovet & apprecatur

AUTHOR.



Amico Lectori Præloquium !



Ertum eſt multos me alloquuturos hoc Sermone

Sed quis tu es, qui vis ſedére in ſellâ
Ut è longinquo Judices à multis milliaribus,
Cum viſu vix ſpithamam longò?

Quod ſi percipiendis naturæ arcanis impar ſit homo etiam cùm ſenſuum multorum firmatur uſurâ, ut non viſui tantùm, non auribus, non odoratui ſolùm, ſed ſenſibus etiam reliquis objecta ſiſtantur; Quantò pejoris ille conditionis erit (ſic rentur,) his deſtitutus præſidiis vel privatus ſenſuum aut plurium, aut principûm illuminatione ſeu φωτισμῷ, unde, (non ex humanæ mentis impari marte in ſcrutandis naturæ ſecretis, aut ex horum naturâ imperſcrutabili ſeu ἀνεκδιηγήτῳ oriri conſtat ſcientiarum ἀκαταληψίαν; Quare cùm omnes norint, *Lucinæ* negotia actusque & Labores intra denſas plerumque tenebras celebrari, quibus - - *Pudica Lucina*

Admotas flammas ſemper abeſſe jubet,

pleriſque ſenſibus haud absque piaculo admotis, niſi apices digitorum obſtetricantium (quales *Argi* fuiſſe creduntur) oculatos eſſe quis contendat; Sequitur ergò, ſi viam intra hæc antra & receſſus non explorent ſenſus, ſi partûs negotia denſis adeò & profundis ſubſint tenebris, circa *Natales viventium* Humanorum, quemadmodum in cæteris naturæ Phænomenis, quæ ſcrutari clauſis ſenſuum feneſtris oportet, nobis palpandum eſſe, niſi Puerperia intueantur ceù ſpecialia & immediata opera aut μεγαλεῖα Dei, quem ſi credere oportet omni-

potentem, & clausis oculis hæc credi possunt. Quemadmodùm ante Labores & Experimenta, his me ipsum indulsisse olim suspicionibus recordor, ob superstitiosam, quæ mentem obsederat, opinionem, Causas Physicas harumque Θεωρίαν Providentiæ Divinæ, quam partubus & Natalibus viventium præ esse solam θαυμαστὸν ὅσον rebar, derogare: Quo tamen Labore & multiplici Experientiâ Cultuque *Lucinæ* assiduo (licet ad intima Artis penetralia ἀκμὴν q; pervenisse me gloriari haud queam;) Eò tamen profecisse arbitror, ut multa quæ nosse ob animi præjudicia me putabam, planè me ignorare sciam, Et vicissim (*Propitiâ Lucinâ*) quæ latebant olim circa abstrusa hujus Mysteria, in Laboris præmium consequutum esse. Durus équidem, summè arduus, Herculeus, Ingentis tædii & periculi, cruore & barbarâ interdùm Lanienâ maculatus Labor, cui, licet tormentis parturientium parem quandoque experiatur diligens *Lucinæ* Minister, iniquissima tamen merces tribuitur vel Homicidæ, vel Carnificis præmium, ex quô rebus humanis summa & infanda desperatio inducta est, Ingens partuum infelicitas, infinita Puerperarum strages, & fœtuum in partu vel interitus, vel toto vitæ curriculo miseranda membrorum vel Sensuum Læsio: Quod scil. spreta, ob tædia Laborûm suorum, jaceat *Lucina*, aut neglecta, aut indignè culta, & religioni vel dedécori sibi ducant Medici, Parturientibus adesse: Male Sanus pudor, Artis tædia, objectorum fœditas, euentûs Speiq; fallacia, forsan quoque inclementia erga Proximum, animiq; barbaries Medicorum animos ab Arte Saluberrimâ & perutili turpiùs abduxére, quod arbitrentur parùm ipsis interesse vel ad existimationem, vel ad Lucrum (Cui posthabitis commodis humanis fœdè inhiant,) utrùm *Lucinæ* mysteriis imbuantur necne,

-- -- *Quid non mortalia pectora Cogis*
Auri sacra fames!

Fato intereà committitur Parturientium salus & maturi fœtûs ex Cavernâ suâ exitus (stigmata enim Artis sunt numero plures

res Aniculæ obſtetrices, potiori jure habendæ ſuffocatrices, non (uti vocant Galli) *ſage femme*, ſed *ſaga* potius *fæmina*) Et quid mirum? cum res ardua ſit, & quæ muliercularum ingenium longè ſuperat;) donec nihil humani à ſe alienum putent Medici, & pretium Artis noſſe & neceſſitatem cupiant, convicti duobus illis clariſſimis & acutiſſimis *Anatomes & Experientiæ* oculis, ſe quosvis *Lucinæ* receſſus felici eventu per luſtraturos: Similes hâc ratione *Phœbo*, qui polluta loca ingreditur, nec tamen polluitur ipſe. Neque enim huic rei plus ineſt negotii, præter quàm, ut ingreſſi antra hæc humana (quaſi per παλιγγενεσίαν, ſeu remeationem intra Uterum, in quo primæ fuerunt Latebræ noſtræ,) ſagaciter perſequamur Naturæ operantis veſtigia, periodos, ſtata tempora quibus definiuntur *Natales viventium*, Inſtrumenta & agendi modos, impedimentaque & motus contrarios, impetus & reſiſtentias, actiones & paſſiones, tùm ex parte *fœtûs*, quàm Utero gerentis *fœtæ*, ut hiſce Arte obſtetriciâ prudenter vel accelerandis, vel remorandis, aut temperandis incumbere liceat, hujus quippe nimis deſideratæ methodi filo ducti, haud cœco ampliùs impetu ad geminæ vitæ perniciem de corio Humano Ludentes: Quot B. L. putas hinc averti barbara parturientium fœtuumve homicidia, Abortus & Vitia Matris vel Infantis nullâ arte vel ævo ſananda, formæ aut venuſtatis, numeri, figuræ, magnitudinis, proportionis, ſitûs, qualitatis mutatæ, ſolutæ unitatis & ſtructuræ organorum? ob quæ mens (prohdolor) interdùm, nec rarò, è ſede dejicitur, ob depravatum Animæ corporisve vinculum (abſit enim, ut benignæ matri Naturæ (ut impiè fit) adſcribantur hæc vitia.

Nec etiam tanta ampliùs erunt Parturientium Tormenta, Labores, nixus & diſcrimina, nec experientur ampliùs, ob propitiam ipſis *Lucinam*, tàm ſæva partium vulnera Pubis, Nympharum, cervicis, ductûum *Duverneyanorum* quorum tantus uſus eſt) & vaginæ cruentas dilaniationes, veſicæ rupturas horrendas, cruoris diluvia, Ligamentorum dilacerationes Te-

 ſtiumve

ſtiumve & Tubarum nullo (quod ſciam) balſamo ſanandas, uterique (unde fœcunditatis aut vitæ diſcrimen) Evulſiones violentas & id genus tormenta, multò minus Lethalem *Sectionis Cæsareæ* ſortem, ob quam *martyrûm* titulo (quot fuérunt ipſam, dùm ſpirarent, expertæ,) & qui perfecérunt, *Carnificûm* inſigniendos eſſe arbitror. Parturientium heu! nimis deſideratam felicitatem! Quæ ideò meta ſemper fuit Laborum meorum moleſtiarumque, quarum, uti omne genus, biennali Parturientium miniſterio intra Mœnia *Richovill.* me felici eventu coòperante Jehovah exantlaſſe lætus recordor, licet

Non - unquam gravis ære domum mihi dextra rediſſet.

Ita exantlare in poſterùm (ſi quod eſt ſudore vultûs partæ ſcientiæ meæ pondus & Tentaminis hujus fata benigna ſint) haud detrectabo, ad Opificis rerum omnium gloriam (cui fortunatos *Lucinæ* Labores omnes adſcribo) Et proximi ſubſidium, cui pro viribus quemque ſuis ſtudére decet.



DE

DE COLENDA

Citò, Tutò & Jucundè

LUCINA.

THESIS I.

UTrùm in Paradiso similis aut ferè eadem (seposito mortis discrimine seu ἀθανασία) quæ hodie est, Parturientium sors fuisset, haud certò constat, (1.) quod Evam Paradisi incolam, seu uteri partiumque ejus Genitalium structuram, molem, κρᾶσιν & affectiones nosse haud detur. (2.) Quod trahantur verba Divini vindicis (*multiplibo Ærumnas tuas* Genes. cap. III.) in bifidum sensum, haud præcisè in facinoris, quod *Eva* perpetraverat, pœnam insolitam (posito enim eôdem, qui Parturientium & Parturiendorum hodiè est, Corporis Charactere & παθημάτων ἀναλογία, cum nisu semper & corporis motu concussorio & constrictorio (*disting.* autem motum dolorificum, quô solvi Continuitatem innuitur) parere necessum fuisset;) verùm duntaxat, ut exacerbarentur & multiplicarentur Labores & Ærumnæ Parturientis *Evæ*, quas (secùs ac in statu innocentiæ) Divina *Nemesis* Tormentis exquisitissimis pares Experiri Facinorosam voluit. (3.) Propter *Brutorum*, (quibus Conditoris maledictum applicare nefas) & Generis humani in edendis fœtibus sortem similem, periculosam, dolorificam, cruentam saltem in *Carnivoris*, Laboriosam, ne exceptis Oviparis, quæ Exspirasse tragico eventu conspexi, ob ruptum ovi mole aut crassitie infundibulum, Hinc convulsâ Gallinâ excernendo ovo impari; Sicut Dominus *Christ. Canuti* Pontopidanus, Pastor refert, quod sua Gallina fœta, non more aliarum, ovum unum vel alterum, sed sex pullos benè conformatos vivos uno partu excluserit, sed horum vitam matri intulisse necem, quæ illicò à partu extincta est. Simili reverà *Vivipara* parturiunt periculo, (ut àbstineam nimis audaci Problemate) hùc potiùs, quod thematis est, inclinans, ut credam majorem esse Partûum humanorum infelicitatem nostris quàm præteritis temporibus: Ferè sicuti mutatos experimur mores morborum, horumque periodos, μεταστάσεις, durationes, Crises & augmenta, nec

non

non θεραπεύειν, quorum respectu inversum quasi diceres Medicinæ systema, ita ut soli olim Naturæ committenda negotia succenturiatâ jam Arte difficulter perficiantur. Nec dubium est, præter indomitæ Libidinis peccatum, cui aptissimè respondit hæc pœna, duriorem sortem Parturientium promanare sæpiùs quàm putatur, à Conjugûm, quoad corporis & membrorum συμμετρίαν, disparitate & ἀνομαλία, à fervidâ, nimis frequente & intempestivâ Ϙre (mulier enim Prægnans *juxta Hippocrat. Libr. de superfœt.* si coitu non utatur, facilius à partu liberatur) cui sine temporum prudenti discrimine incumbitur, (unde non solùm virium partui inserviendarum deperditio, sed etiam error in Computando fatalis) Quibus accedunt (nec impunè) dura Excercitia, saltus immoderati, Equitationes, Plaustrorum succussiones, cursus, vociferationes, odores, alimenta ἐμπηρευμάτικα majoribus nostris insolita, horrenda animi pathemata & id genus violentiores motus, quos, si non abortus, durum saltem & atrocissimum Puerperium comitari solet, à quo Parturientis & parturiendi fœtûs vires interdùm atque vita pendent. Non ab simili *Asciticorum* fato (ut Tumorem Hydropicum cum uteri tumore (diverso tamen respectu) conferam, quos, si quid in Tumoris Curâ peccatur vel ex propriâ, aut (quod sæpe fit) Medici culpâ, quod Neuter naturæ vias sectetur sed perturbet, id morte Luere constat.

Thesis II.

Medico *Lucinæ* Mysteria Tractanti nunquàm satis perpendendam Prægnantium & Asciticarum Convenientiam! Fœtu quidem & Lymphà præternaturali simùl Turgentem uterum vidisse memini *Kaisersbergæ* exemplo raro *uxoris Domini Prætoris Regii* vid. *Fabric. Hild. Fern. River. obs.* ob Abortûs horrenda pericla & Meretricûm Astutias, quibus imponere Medicis ad movenda menstrua satagunt. Quædam se Hydropicas fingebant (verba sunt *Patriæ nostræ Medici Viri Excell. & præter. Seculo Celeberrim. Joh. Nicol. Binninger. Observ. III.* Cent. V.) quarum fraudem contrectato pulsu (*Asciticarum depressiùs vibrantibus Arteriis, quæ gravidis in primâ saltem ingravidationis periodo altiùs micant*) & exploratâ constitutione præscriptis innocuis (*quæ ex superioribus Analeptica & Corroborantia fuisse conjicio*) elusi: Nuper me Rustica quædam ex vicino pago aliquoties convenit, filiam unigenitam annorum forte 15. ventre intumescere ob negatum Menstruorum pro fluvium querens, allatâque urinâ

rogans,

rogans, re ſic ſe habente ordinarem, quæ illud promovérent. Adduceret Puellam juſſi. Quâdam die hùc comitatur illam, & examinandam præbet in præſentia ſuâ: Benè appetebat & optimè Colorata ventrem habebat (NB.) acutè prominentem, pulſum naturalem, nulla hydropis vel ſuppreſſionis menſium (*chloroſeos* nempè) ſed Graviditatis ſigna eſſe indubius dixi. In Lacrymas effuſa filia tacendo negare non viſa eſt, ſe verò nihil mali, ut dicebat, commiſiſſe referens: Sufficere nec veternoſam, ſed cum ſenſu & voluptate ſe Concepiſſe dixi: Ita dimiſſa cùm Matre Filia, non diu poſt peperit. Fidem adeò cautam & δεινότητα addidiſſe juvat Lotio aut menſtruo Cruori ſuppreſſo, aut fluenti, indeque pendentibus effectis anomalis, etiam tumente Hypogaſtrio, ne hinc eô ipſo, dùm oculos lividos, Nauſeam, Picam & vomitum, ſororiantes mammas, Intumeſcentiam Uterique quovis modo Ψευδῶς pulſantis ſenſum, Lacte etiam ex mammis promanante (vid *Hippocr. aph. XXXIX. Libr. V. Helvig.*) experiri more Prægnantium non menſtruatas norint facinoroſæ, ſub larvâ intumeſcentis ventris aut ſuppreſſorum muliebrium decipiatur minùs Cautus credulusve nimiùm Artifex; Sicut contrariô etiam ſenſu (vid. *Sydenham. Plater Obſerv.*) quædam mulieres ψευδῶ Prægnantes ſuo & obſtetricûm judicio deceptæ, motum infantis jam a tempore Conſueto usque ad legitimum tempus pariendi perſentiſcentes, quin ad eundem modum, quô Gravidæ ſolent, ſubinde ægrotantes ſororiantibus inſuper mammillis & Lacte Exſtillante, de faſciis haud rarô ſibi proſpexére; Ventre verùm pari, quo increverat, gradu ſenſim detumeſcente, ſpe ſuâ fruſtratæ: *Parturiunt montes &c.* Cujus erroris Exempla vid. apud *Veſal. Schenck. Plater. Binninger. River. Franc. Mauric.* Adde etiam, quod minimè inſolitum mihi videatur, Plethoricas hyſtericasque Prægnantes ſua, pro more Virginûm, menſtruatim experiri muliebria, cum palpebris ab ὀργάσμῳ & vaſorum πλεονεξία tumidis (unde *Phlebotomiæ* uſus in recenter Gravidis a primô ſcil. menſe ad 7tum uſque) donec Sorbendo omni Cruore uterino Embryonis (quod *ſepti octi & novimeſtris* demùm planè valet) vires ſuffecerint: Quid etiam tum! ſi Tumore ventris pulſatorio (ſed adulterino) intumeſcere Cachectico-Hyſtericas contingat, cum mammarum quandoque Lactiformi ſtillicidio, inprimis nullâ aut torpidâ ſaltem ♀re præviâ: ſymptomata enim genuina ſunt ſtagnantis & in cuncta viſcera-

ſcera-

ſcera diffuſi cruoris Hypogaſtrici, cujus enormitates & παλινδρομὴν produnt tumefacta viſcera & ſecretiones inſuetæ, (quicunque demùm ſint meatus iſti Colatorii & ſecretoria organa) modò Lactis ſero ſolymphatici ſpecie, aut eructationis *aphor. XXXII. Libr. V.* aut Expectorationis purulentæ, quâ martio menſe occubuit Richovillana quædam quadragenaria ἄλεκνος, modò effluvii *narium*, aut *Cutis* ſanguinei Charactere vid. *aphor.* 33. Libr. V, quæ omnia à ſuccis copiâ & qualitate noxiis & in varia organa depluentibus ſuccreſcere naturæ inſtinctu palàm eſt: Adde certioris διακρίσεως gratiâ contenti in utero fœtûs certiora indicia peritè diſtinguendo (1) *ventris Tumorem* χλορώσει Laborantium aut molam Geſtantium *Tympaniformem* & æqualiter in omnem dimenſionem dilatatum, retracto introrſùm umbilico, ab *Utero gerentium* Tumore ovali, acutè prominente, faſtigiato cum extrorsùm protruſo & quaſi *nullo* umbilico, coarctatis utrinque Hypocondriis (2) Corporis habitum & mammas, quæ in Chlorotico - Hydropicis molamque geſtantibus & hyſtericis flacceſcunt ſæpiùs & deturpantur, in Prægnantibus verò vividi Coloris ſunt & lacte abundant Chyloſo & nutritio. (3) Picam utero Gerentium, nec non quasvis alias moleſtias poſt 90. diem ſpontè ceſſantes, (quia grandior fœtus majorem humorûm partem abſumit,) dùm e contra illarum ſymptomata indies, niſi ſuccurras, ingraveſcunt. Tandem fœtûs 3. vel 4. drimeſtris irrequietè calcitrantis pulſationes & vibrationes reptionesque inſtar vermis æquales & plures ventris partes occupantes, a flatûum palpitantium borborygmis, concuſſione viſcerûm ſpasmodico - Hyſtericâ, aut molæ, Lymphæque pro corporis ſitu variè undulantis & ferè utris inſtar, cujus ▽æ ſequuntur agitationem ab extùs ſibi advenientem, decidentis ſenſu facilè dignoſcendas, quibus, ceu παθογνωμονικότατον imprægnationis Indicium, Clauſuram cervicis Uteri exquiſitam adjungere ſolent *Pariſienſes Chirurgi obſtetricatores*, ſi os nempe Uteri cum mollitudine & indolentiâ ita ſit coactum, ut ne acûs quidem acutiem admittat vid. *Aphor. LI. Libr. V.* Cæterùm hoc ſignum intelligitur de illis mulieribus, quæ operam dant Liberis, nam in virginibus etiam connivet: Ubi, quod ſpectat Embryonis motus præliminarios, ὡς ἐν παρόδῳ notare decet, fœtum calcitrare non uno modo ad parietes Cavernæ uterinæ, ſed Cordis primò palpitantis & placidè pulſantis, poſtmodùm ſalientis & con-

tun

tundentis, tandem convulsi & dissilientis specie, donec his fœtûs motitationibus successivè auctis lacessitus tandem uterus, suarum (ut explicat *Bergerus*) constrictione fibrarum a fundo cervicem versus, ad expulsionem molesti & inquieti hospitis insurgat; Naturâ ideò certis in partu edendo gaudente legibus, ut eas, nisi interturbetur, constantissimè servet & tueatur: Ferè sicût parat sibi exitum maturescens in testâ Pipio, per terebratum ovi Corticem (humani fœtûs membranas æmulantem) qui rostro perforatur; sic calcitratu multiplici & calcando macerari pro adolescentis fœtûs mole decet Chorion & amnion, quibus sepitur Embryo, more *dentium* gingivas perforantium, Excludendus demùm irritatâ Uteri, Abdominis, Thoracisque & diaphragmatis vi Expultrice suarum fibrarum, quibus omnis generis donantur mirô artificio & stupendâ inter se *συμπαθείᾳ*, brevi, si detur occasio, publicè demonstrandâ.

THES. III.

Quorum quidem phænomenorum rationem certis naturæ legibus innixam ipsa Artis & naturæ varia opera demonstrant, quæ successivè ad *ἀκμὴν* deducuntur. Exemplo sit succus *uvarum* recenter expressus, quem in occlusis doliorum uteris contentum primò elevari videmus, hinc pedetentim ebullire, tandem adeò effervescere, ut non magis ▽ super △, donec completo fermentationis negotio, fractis particularum tenacium involucris sub liquoris vinosi formâ emergat, fœculentiis crassioribus quaquâ versùs dimissis & ad fundum amurcæ instar præcipitatis: Ferè sicut adolescens in Cavernâ uterinâ Embryo, dum robore crescit & stamina firmantur teneri Corporis, eò majùs quoque affectat Spatium quasi pertæsus eandem sedem, facto impulsu modò quarundam partium pedis alterutrius, vel brachiorum, vel Capitis &c. modò totius trunci dextrorsùm, sinistrorsùm, ad anteriora & posteriora quasi vermiculoso, Et (quod ob nerveam organorum texturam mirum!) ad partûs horam usque, nisi lædatur Gravida, *ἀναλγήτῳ*: Quàm quidem Indolentiam a renisu Aquarum, quibus extinguitur Calcitrantis fœtûs impulsio, dependere arbitror. Interim neque succedit semper vinorum defœcatio, sed interdùm ægrè liberantur à Tartari mixtione, ob succi mucilaginositatem, aut vappescentiam spontè vix mutandam, nisi promtè mederi his vitiis norînt Experti, per remedia depurantia & exagitantia, quæ veluti immisso stimulo succi

emor-

emortuam turgeſcentiam reſuſcitent, & fœculentiis craſſioribus; dum pori reſerantur, exitum parare valeant (vid. *Willis de ferm.* In hoc Caſu, remediis velut Cardiacis Languidæ vinorum depurandorum vires exſuſcitantur: Enim verò ad fermentationem illud primò requiritur, ut materia fermenteſcibilis, ſive illa vinum ſit, aut alius aliquis Liquor quilibet, eâ tenacitate & viſcoſitate polleat, ut ſpiritus implexos atque irretitos eatenùs detinére valeat, ut in Liquoris maſsâ moveri atque agitari poſſint, eodem ferè modô, quô aves viſcô Captæ, aut muſcæ atque Inſecta melle detenta motitare quidem & ſua murmura peragere poſſunt, avolare interim non valentes, Eam tamen tenacitatem obtinére haud debent Liquores, ut ſpiritus obruant opprimantque, adeo ut non omninò moveantur. His ergo jactis fundamentis, quæ quidem neſcio an aliis, mihi certè ratione non contemnendâ niti videntur, quoties res eſt cum Parturientibus, quarum propria, aut fœtûs vel imbecillitas vel contraria indoles ad furorem vergens indicatur per ſigna ſpecialia, quæ, ut obiter moneam) ſine ſalutis aleâ omittere nequit prudens Artifex, incumbit naturam regere, prout ipſius conatus vel efferari, vel langueſcere deprehenduntur, eâ quidem ratione, ut nec hinc plus æquô ferociant Uterus hujusque contenta (unde Abortus, Hæmorrhagiæ, Convulſiones, præcociaque Puerperia) nec illinc nimiùm torpeant, quô pactô naturæ labefactarentur Conatus, Partûsque negotia peſſùm ruerent triſti ſpectaculô: Sicut quam plurimas alterutrô hoc errore periiſſe fœminas novi, & viceversâ multas ab orco ereptas ideò, quod prudenti methodo & moderamine ultrà debitos Limites excurrenti Naturæ providerint auxiliorum convenientium ope, quibus aliàs in parturiendo non adeò indiget ſuis incluſa Natura cancellis, ſuisque viribus planè inſtructa, quarum quidem eâ gaudet copiâ, quantâ, niſi interturbetur, opus eſt, ad *jucundè citò & tutò* parturiendum.

THES. IV.

Quomodò verò jucunde? An non tantò Celeriùs procedunt puerperia & accelerantur, quò magis vigent cruciatus & tormenta parturientium, ejulatus & vociferationes; Ridentem enim Puerperam vidiſſe nec meâ nec aliorum αὐτοψία recordor. Profectò ſunt dolores Naturæ inſtrumentum, ſeu (ut ita dicam) Claves, quibus reſeratur Antrum vel Caverna uterina, ad egreſſum naſcendo fœtui con-

conciliandum, Et quò magis excitaverim illos inevitabili & neceſſariâ barbarie, eò magis partûs negotia acceleravero, ſeu Fœtûs, ſeu ſecundinarum excludendarum gratiâ, niſi (NB.) præternaturalis dolorûm ἐνεργείαν impediat Embryonis in utero ſitus, cui mutando, ſi impares fore (quod nimis ſæpè fit) naturæ conatus conſtet, ſola periti Artificis dextera valebit: Adde ſenſu exquiſitiſſimo prædita partûs organa, Uteri Lagenam membranaceo-nervoſam, annexa ipſi vincula, funes, Pelvim, vaginam &c. quæ diametro Corpusculi maturi excernendi θαυμαστὸν ὅσον improportionata, Cruciatuûm neceſſitatem ſtatuere videntur. Intereà plectuntur interdùm miſeræ citra naturæ neceſſitatem & culpam, crudo adhucdùm embryô, quaſi non ſatis ſit, ut ſub Deo, ſed etiam ſub imperito Artifice vapulent; Quod careant auxiliatrice, prudenti Artemque callente *Lucinâ*, ſeu quod, præter Cauſas in *Thes. I.* memoratas, intempeſtivè laceſſentur organa, tùm inſalubri balneorum ſtimulantium laxantiumve uſu, tùm funeſtô obſtetricûm *Colico* nephriticis torminibus deceptarum errore, quaſi ab omni murmure parturiendum eſſet (interdùm enim vid. *River.* obſtetrices citiùs Parturientes incitant ad conatus expulſionis, & ſpiritûs cohibitionem, dùm adhùc ligamenta fœtûs utero firmiter adhærent, unde virium ex ſolutio ſequitur, quæ poſtmodùm in ipsâ partûs horâ non ſufficiunt:) Adde, quod ſtata haud norint utero Gerentis tempora ex ſignis propriis infrà deſcribendis; ſeu (2.) ob præmaturam præcipitemve Chorii amniique membranarum rupturam, unde, nec dùm hiſcente ſatis Uteri Cervice, ob Liquoris ad vias lubrificandas effluxum præmaturum, funiculo etiam aquarum torrente effuſo-elapſo vel circum voluto, fruſtraneis nec fœtum promoventibus doloribus torquetur, imò ſæpiùs evulsâ in malorum Cumulum placentâ animam fundit cum ſanguine infelix Puerpera: Excipe tamen, ſi extra vulvam elongatæ, nec dùm ob ſui tenacitatem ruptæ pendeant membranæ, eâdem tùm neceſſitate rumpendæ, quâ Infantûm difficulter dentientium gingivas horizontali ſectione aperire neceſſum eſt. Aut (3.) plectuntur ineptâ contundente Hypogaſtrii deorsùm verſùs Hypocondriorumque & iliorum Caſu, ictu & manûum vi factâ compreſſione, quâ promovére nituntur infantis egreſſum & ſecundinarum, ſolo naturæ niſu, impetu & robore perficiendum: Naturam enim invictam eſſe ignorant; vel (4.) neglectâ inteſtinalis fi-

 ſtulæ

ſtulæ σκύβαλοις aut flatu diſtentæ, ſeu veſtium laxandarum, vel partium Oleoſis emolliendarum ratione, ob quam atrociùs ſævire tormina parturientium nobis compertum eſt: Uno verbô dura & difficilia aguntur Puerperia eô ipsô, quod opitulari falsò ſe poſſe putent, vel quod nolint & recuſent ex præconceptô odio, vel haud norint obſtetrices, ſeu ex Artis imperitiâ, ſeu quod doctâ ipſarum Arte plus valeat malum in præternaturali Puerperio, quod *Lapidem Lydium* peritorum Artificûm meritò dixerim; ſi enim tentare cui Libeat, quantùm in hâc Arte ſui valeant humeri, in difficili puerperio vires experiatur, maximè quoties magna jam adeſt virium jactura ob infantis ſitum perverſum ejusque imbecillitatem &c. Ergò juxtà ætatem, ſtaturam, habitum & temperiem τῆς δυςοκέσης ad dolorûm vim cæteris paribus valdè utilem, Nec non juxtà mores obſtetricantium, horum induſtriam, dexteritatem, humanitatem, quibus refocillantur & a dolorûm ſenſu quaſi abducuntur in partu conſtitutæ fœminæ, multùm intereſt noſſe ad amuſſim ingravidationis, cujus ſigna *vid. ſuperius*, tempora, quorum decurſu novimeſtri ad ἀκμὴν & maturationis periodum pervenit Embryo: Cui quidem feliciùs & ſine Matris torturâ Lethali & ſine ſpaſmô vix tolerandâ ad nativitatem promovendo (1.) *Diæta* juvat Gravidis & partui vicinis præſcribenda, reſpectu Aeris, Cibi & potûs, Exercitiorum mentis & Corporis & quoad excreta, & retenta ita ut aëre nec acri, nec impurô, nec procellosô, uti nec ejusmodi farinæ alimentis ſeu ſolidis, ſeu liquidis, queis cieatur aut convulſiva ferinaque tuſſis, diarrhoea, ſingultus, aut ſternutatio Abortum & Embrii in Utero fatalem perverſionem provocans, gaudeat: ſimùl juxta *Hippocr. libr. de ſteril.* utile monitum, primô non tantùm tempore (effluendorum Germinum causâ) ſed & ultimô abſtineat Coitu, cujus nec non immodicæ corporis ſuccuſſionis, agitationis, vociferationis, risûs, pandiculationis vomitûsque &c. pericula recenſens, egregiam horum reddit a ſimili rationem *Celebr. Puerperarum in Galliâ Patronus Franciſcus Mauricean* utiliſſimum de mulierûm partu librum ſcribens, cujus mox referam verba, cùm monuero coitum ideò noxium præcipuè versùs finem properantibus mulierculis, quòd conglobato & ob molem ſidenti & deſcendenti Utero impingens illidensque virga, hujus Cervicem præmaturè reſerare faciat, unde fit, quod juvenculæ ob nimiam ferventioremque ♀rem frequentiùs & periculoſiùs

abor-

abortiant.(*Premierement on doit ſavoir & poſer en fait* (memorat abortûs pericula,) *que la ſortie de l'enfant doit étre laiſſée a lœuvre de nature bien reglée, & non pas l'exciter, en le ſecouant par cet Exercice, a déloger avant qúil en ſoit tout aſſet tems: Ce qui arrivant, quoique ce ne ſoit trop tot que de 7 ou 8 jours, ne laiſſe pas d'etre quelque fois auſſi préjudiciable a l'enfant, que nous le voions étre au raiſin, qui quelque fois a 4. ou 5. Jours prés du tems quil lui faudroit pour ſon entiere maturité, eſt encore presque demi verius; Mais pour faire voir plus clairément par cette comparaiſon, que ces ſortes déxercices cauſent ſouvent de tres mauvais travaux, il faut conſiderer que l'enfant eſt naturellement ſitué dans la matrice la tête en haut & les piés en bas, regardant le ventre de ſa Mere, jus qúa ce qúil ait atteint environ le 8e. mois: Pour lors & quelquefois plutôt, quelquefois auſſi plus tard, ſa téte etant fort groſſe & peſante, il vient a faire la Culbute, en la portant en bas & les piés en haut, qui eſt la ſeule & veritable ſituation, en laquelle il doit venir au monde, toute autre etant contre nature. Or juſtement dans le tems que l'enfant a coutume de ſe tourner ainſi a Chéf, au lieu de ſe tenir en répos, on ſe met a ſauter, marcher, monter, deſcéndre & ſéxercer plus qúa lordinaire, ce qui aſſés ſouvent eſt cauſe qúil ſe tourne de travers & non pas directement, comme il devroit faire; Et dautre fois la matrice ſaffaiſe ſi bas & ſengage tellement vers les derniers mois dans la Cavité de l'Hypogaſtre par ces ſecouémens, qúelle ne laiſſe plus la liberté a l'enfant de faire cette Culbute naturelle, pour raiſon dequoi il eſt contraint de venir en la premiere ſituation ſavoir, par les piés, ou en autre poſture plus mauvaiſe*) hoc eſt, ſcitu neceſſarium &, certum eſt, Egreſſum infantis, naturæ viribus committi debére, non proritari violento exercitio, hujus partum præmaturum provocando, qui licet 7. aut 8. ſaltem diebus antecurrat, tantumdem Embryoni nocet, ac Uvis fieri contingit, quarum ſuccus auſterus & agreſtis eſt, licet ad matureſcendum 4. aut 5 dies deſiderentur; ſed melioris intelligentiæ gratiâ, ut Exemplo allatô pateat, ab hiſce violentioribus Exercitiis dura pendére Puerperia, conſiderandum eſt fœtum juxta naturæ ordinem Caput habére uteri fundum versùs & ſuperiora converſum, pedes cervicem versùs deorsùm pendulos, Faciem verò Matris pubem é diametro ſpectantem, quem hinc ſitum in utero ſervat ad octavum ferè menſem, quô tempore modò citiùs, modò tardiùs ob Capitis gravitatem molemque, ſublatis retrò pedibus in pronum Caput delabitur, quam Corporis figuram in quolibet Naturali partu ſervare debet Embryo, cùm quivis alius

ſitus

ſitus, præternaturalis habendus ſit. Jam eô ipſo tempore, quô inverti ſolet Embryo, tantùm abeſt ut animi aut Corporis quieti indulgeant, quin potiùs ſaltationes ineant & itinera Laborioſa, in ſolitoque exercitiô ſe ſe macerent, unde transverſim & ſitu ferè horizontali decidit, Uteroque ſimùl adeò interdùm cum ſarcinâ deſcendente, ut pelvi arctè preſſus & incarceratus corporique invertendo impar fœtus, priorem, quam vitioſam accepit, corporis figuram in partu ſervet, partu Agrippinô aut aliô periculoſiore modô Excludendus.) Pro confirmatione hujus veritatis, ſi non ſufficiant omnes ſupra allegatæ probationes & authoritates, quotidianaque partuum humanorum exempla(*Felix* tamen *quam faciunt aliena pericula Cautam*! En *jumentorum*, *vaccarum*, *Camelorum* &c. quos niſi pécoris impatiens, aut mandati divini transgreſſor, (Juſtus enim miſeretur animæ jumenti ſui) dùm fœturâ prægnant, jugo vel duro oneri haud facilè ſubijciet: Adde fragorem horrendum, quô ab exploſis tormentis Ovem exoneraſſe *Lutet. Paris* anno 1711. memini. Simili effectu terrorem ſubitum & exhorreſcentiam à quacunque Cauſâ, Æſtum febrilem *Hippocr. aphor. XXX. LV. Libr. V.* (quia ſi in Curationem morbi incumbas, ipſum fœtum peſſumdabis) veſtes nimis conſtrictas, ſtranguriam, Teneſmum, Animi conſternationes &c. Parturientibus & Fœtui crucem in partu figere æque certum eſt, ac certò nocent utero gerenti Lavacra (ὀκόσαι μετριως τὸ σῶμα ἔχουσαι ἐκτιτρώσκουσι δίμηνα καὶ τρίμηνα ἄτερ προφάσιως φανερῆς ταύτησιν αἱ κοτυληδόνες μήξης μεσαί εἰσι, καὶ οὐ δύνανται κρατεῖν ὑπὸ τοῦ βάρεος τὸ ἐμβρύον, ἀλλ' ἀπορρηγνύονται,) hoc autem ex ſecundinarum & vinculorum uteri laxitate, quam ſemicupiis emollientibus, aut provocantibus inſidentes Meretrices horrendô homicidio, & ἀςοργίᾳ in ſpem abortûs ſibi conciliant, enervatâ his membranarum, vaſorum, Ligamentorumque κράσει & facultate tonicâ, συςολικῇ & retentrice: ferè ſicuti membranas ovillas rigidiores & præ ſiccitate turbinatas frequenti aſperſione & imbibitione ▽rum molleſcere & elongari contingit, vel eâdem ratione, quâ relaxantur in aëre roſcido, nebuloſo & humido fidium corda, quæ nervos & vincula referunt, aut Tympana membranis tùm uſu, tùm figurâ non valdè diſſimilia. (2.) Cùm ſibi ſonuiſſe Partûs horam, probè ſuorum temporûm conſcia fœmina cognoverit ex ſpuriis infidisque ſignis haud decipienda (maturum autem fœtum Partûs naturalis indicia & prodromi præcedunt) quieti Corporis &

Men-

Mentis, maximè ſi ſit Primipara, indulgére eam decet (1.) ut viribus unitis, nec fractis par ſit ferendo partûs Labori, cui pari ratione ἀναλήπτικα conducunt. (2.) Ut ſimul directô motu, dùm prono Capite delabitur, commodum in pelvi locum nanciſci queat infans, mille ſecùs modis in partum Laborioſum & Gravem faceſſentibus provolvendus: Huc refer veſtium & cingulorum laxitatem, Coitûs abſtinentiam, Clysmatûm verò, ſi tenſa ſint Inteſtina, injectionem ex decoct. Herb. Emoll. *Malv. Alth. Parietar. puleg. verbaſc. Chamæmel. Artemiſ. colatur. add. oleum Amygd. dulc. & ℥i. Salis.* Eodem tempore, quod facit multùm ad Partuûm imminentium felicitatem, Arcanum eſt conglobatas & ſibi mutuò ferè ſuperincumbentes vaginæ rugas, valvulas, plicas, annulos, poros deorsùm ſpectantes, nec non uteri Cervicem, ſeu òſculum aut ſphincterem appropriatis diducere, emollire, elongare, relaxare diametri organorum augendæ gratiâ, ſecùs in fœtûs ſuffocati tumulum abeunte utero, ſit juvenis aut vetula Puerpera primum experta Puerperium: *Hujus* enim organa continentia ætate rigiditatem & ſoliditatem nacta, ob humidi nutritii defectum, dùm reluctantur, Matris & fœtus conamina funeſto ſpectaculô eludunt: *Illius* verò, jùvenculæ ſcil. partes ob nimiam tenuitatem, teneritudinem, ſenſilitatem, duro impares Labori & tractatu difficiles, citiùs ob tormentorum atrociam diſruptis veſicâ, pudendorum labiis, Carunculis &c. Matri necem inferunt, quam perficitur partus (Ergò tùm primum licitus eſt *ſectionis Cæſareæ* uſus, defunctâ Puerperâ.) Coronidis tandem loco (ne quid deficiat ſaluti & felicitati Puerperarum, quantùm quidem pro maledicto divino licet) Articulationis, quâ oſſi ſacro junguntur Coccygis oſſa Cartilaginoſa laxandæ Cautelam ideô *Lucinæ* Cultoribus injungere debui, quod hinc certâ tamen ἐγχειρέσει praviâ multo mihi uſu comparatâ) felicem eventum ſortiantur Puerperia, ob ſitum hujus Appendicis oſſeo Cartilaginoſæ ex σπλαγχνολόγικοις reſpectu uteri & inteſtini recti ſuperincumbentium, & ὀστολόγικοις deſumendum: Adde vetulas præ Juvenculis ob immobilem factum Coccygem difficilius eniti.

THES. V.

Sic properante ad fores uterinas Embryone, cujus juxta jam allata ſuperius indicia ſunt, delapſa in pelvim uteri moles, oſtiùm

uteri reſeratum, Tormina ad pubem deſcendentia &c. poſt exantlata graviditatis diſcrimina, periculi quod in partûs morâ conſiſtit, probè conſcia provida mater Natura, niſi inter turbetur & ab impedimentorum violentiâ è ſtatu ſuo dejiciatur, partum edit celerem, ferè momentaneum, brevique dolorùm, ſed urgentium ſerie ſeſe exonerat, modò viciſſim Naturæ æſtibus opportunè utatur Puerpera, & norit quid agere primum, quid ſecundum & ſic deinceps debeat: Quandoquidem Naturæ conatus obſervando citiùs fœtui viam aperueris, quàm præmaturâ irritatione partûs impedimenta ſuſtuleris *Primò* ad valvulas plicasque uterinæ vaginæ leniendas, diducendas, uterumque, cujus ſphincterem quaſi epiſtomio jam obturat Embryonis vertex, ſucceſſivè reſerandum, tranſſudant mucagines inſtar albuminûm ovi, ob compreſſas à Capitis mole undas, quarum particulæ per rarefactam membranarum texturam elabuntur depluuntve, ſeu uterinæ Cervicis emolliendæ, laxandæve gratiâ (accedente in adminiculum veſicularum Cervicis uterinæ muco roſcido) ſeu ſimùl pro viarum Lubrificatione (Naturâ Aurigarum Proverbium verificante, wer wohl ſchmiert der fährt wohl:) Adde cruoris interdùm dictam Lympham tingentis effluxum & effectum ſimilem. Hinc (2.) armatâ in fœtum Ergaſtulo ſuo ejiciendum totâ natura, celeriter ſuccedunt ſibi Lictorûm inſtar dolores ſcindentes, lancinantes, tormina, Coxarum gravitas, nixus à regione Lumborum & Coccygis ad pubem reflexi, convulſo quaſi ab Aëris retentione Hypogaſtrio, diaphragmate & toto nervoſo ſyſtemate (unde vomitus interdùm,) quorum motûum continuatâ ſerie & impulſu, dehis cente ſenſim ac ſenſim uteri Cervice, deſcendit quoque pedetentim & promovetur Embryo intra pelvim, membranis jamjam ▽rum effuſione crepandis, (quò tamen facit multùm Parturientis ſitus; Tandem tormentorum vi, quaſi novaculis ſcinderentur, ad ejulatum usque auctâ (ob Cervicem à Capitis mole extenſam) erumpunt ſpontaneâ in volucrorum membranaceorum rupturâ Capiti ſuperincumbentes Aquæ, mox tremiſcente vel trepidante toto in plerisque corpore; donec infantis niſu Calcitratorio, uterique, abdominis, partium πνευματicarum ob animam retentam impulſu continuato expellatur cum ſecundinis Infans μικρόκοσμος, eò quidem citius μακρόκοσμον aſpecturus, quò Naturæ operanti prudenter miniſtraveris. *Ergò* partûs Laborûm

minimè

minimè impatiens, quò atrociora sentit tormina, eò Constantius in brevi subsecuturæ διαλύσεως spem vacare hisce decet Intrepidam Puerperam, cohibito sæpius in nisus expulsorios spiritu, admissâ simùl in plethoricis & obesis (vasorum ῥήξεως & sanguinis in pectore ἀναθυμιάσεως præcavendæ gratiâ V. S. vid. *Hippocr. Libr. I. de morbis mulier*, Liquorûm vi Gardiacâ temperatâ & restaurante pollentium usu, erectamque, quantùm pro viribus licet, servando Corporis figuram, utero reserando, nec non Coccygi retrò flectendæ magis idoneam; Vestium ponderosiorûm, quantùm absque frigoris noxâ licebit, carentiâ vel laxitate; Intestinorum, vesicæ, narium emunctione & ex oneratione sponte vel arte ciendâ, animi horribilium affectûum, timoris, mœstitiæ &c. fugâ conf. *Cap. IV. Libr. 1. Samuel*; Tandem hiante a torminûm vi, sternutatoriis, ἐρρινοῖς, prout suadet Hippocrates, interdùm irritandâ, uteri cervice, Cuncta partûs organa, ut faciliùs partui cedant, illinire tanti usûs est, ut admittendo fœtui latius hâc ratione pateat uteri orificium, cujus parietes & annulos (quibus post elapsas aquarum undas coronæ instar Cingitur Embryonis nascendi caput) celerioris exclusionis gratiâ, digitorum unius vel alterius, indicis præsertim, quem axungiâ oleis aut mucagine dulci lubricare extractis annulis & unguibus truncatis necessum est], apice retropellere obstetricantem decet; secùs fessâ duro Labore *Lucinâ*, periclitantibus ob partûs moram Matre & infante, ambo, nisi ferro aut manûum nervis salus inducatur, trucidantur: Quâ quidem tristi rerum facie, si Unguentarii axungias, olea & Linimenta omnia, seu inunctionûm, seu iniectionûm formâ, quibus uti aliàs solemus, usurpavero, citiùs Exspirabit a triduo vel quatriduo sæpè Enitens fœmina, quàm parturiet ob capitis & trunci prægrandem molem, aut viarum nullâ dolorûm vi dilatandarum angustias in macilentis & obesis, in Juvenculis & coriaceis vetulis, quarum respectu suffocatus & contusus sæpe perit Embryo, Parturientiumque vires doloribus impares fatiscunt, pulsu depressiùs vibrante inflammato & durescente Utero & Musculis, ἐφιδρώσει & ἀσφυξία in præsentissimum Matris discrimen (nisi habitâ virium ratione fœtum extrahere mortuum, aut secundinas norit peritus promtusque Artifex, necem aliàs Parturienti illaturas) supervenientibus. Sic 21. 9bris 1715. violento partu, sed *Agrippino* extraxisse Puellam exanimem absque secundinis, putrilaginis quâvis mephyti

fœti-

fœtidioris formâ a quatriduo excretis, non ſine horripilatione recordor, cùm jam ſpasmorum præludia ad eſſent: Et ſi (venia ſit repetenti) unguentarii axungias omnes (quæ imperitorum eſt ſacra ubique anchora) tùm Caperet uterus, citius tanto labori ſuccumbet Natura & peſſumibit Mater, quàm Excludetur fœtus, non niſi χειρουργία manualisque ἐγχειρήσεως ope ſalvandus, maximè ſi cadaveroſæ & mortuæ prolis indubia ſigna appareant, & futuri ſponta nei partûs ſpem deſperatam eſſe irritis tantûm, nec promoventibus, aut interpolatis tantùm ad dorſum potius, quàm versûs pudenda vergentibus conatibus enitente fœminâ conſtet, Aut ſi nullâ aliàs vi revocandi parturitionis dolores evaneſcant, ſeu ratione ingentis cruoris ob laceratas ſolutasque ſecundinas profluvii, vel ob matricis ſiccitatem, tumores, anguſtiam &c. nullâ obſtetricis Arte aut naturæ viribus reſerandæ, ſeu ratione molis præ orificii diametro grandioris, quò ſpectant ὑδροκέφαλος, Aſcites, Gibboſitas, membra monſtroſa aut duplicia, vel perverſi ſitûs, fœtu ſcil. prolabente Corporis ſitu, modò horizontali, modò ſupino, modò pedibus & manibus ſimùl elabentibus conglobato, modò aliâ difficili poſiturâ, quarum icones ex parte delineatas exhibet *Fr. Mauriceau Libr. 2.* Adde Tetanum, ſyncopen, phtiſin, Aſthma, Aſciten, & animi deliquia Reſpirationem, cujus inſignis in parturiendo uſus eſt, cohibentia, ob quæ ſeu ſolitaria ſint, ſeu conjuncta parturire ſponte neſcit Puerpera, ut ut malè aliàs mulctetur a vetulis & Imperitis medicaſtris, præ poſterò ſtimulantium abuſu, quibus temerè cruciatur, quó demum importûno molimine pejus agitur de fœtûs & Parturientis vitâ, tantùmque abeſt, ut accelerentur partûs negotia, quæ vel ſuo relicta arbitrio Natura, vel periti Artificis prudens opera promovére forſan valuiſſet, ut è contrà viribus fractis & evanes centibus opreſſâque naturâ ambo mater & infans libitinæ damnentur, ſaltem alterutrius pernicies Inducatur: Quandoquidem hinc periculum ſit, in calidioribus præſertim temperamentis, quorum principia activa plus ſatis Cardiacorum ſupplent vicem, ne naturâ nimis incitatâ coactâque ſpas modici motus cieantur, quibus de Medico & Parturiente Ægrâ peſſimè agitur; Et, ut verum fatear, ita proclivis jam eſt ad ſpaſmos, Hæ morrhagias &c. Puerperarum quarundam indoles, ut perſæpè ſuâ ſponte, nullâ ſtimulantium ejusmodi irritatione præviâ, illico ſubrepant: Præterquàm

quàm maleſano ſtimulantium ejusmodi abuſu, difficilior evadat infantis excludendi ſitus, deteriorque hujus in pelvim prolapſus, excitata ſimùl immani fruſtraneorum Cruciatûum ſerie, quibus fœtui non tam præparatur, quàm præcluditur exitus.

THES. VI.

Ex dictis, ut obiter attingam facilè erit vulgare illud Problema ſolvere: Qui fiat ſcil. ut perpaucæ adeò è plebe, ex puerperio (fatali nece) pereant, ſi ad eas comparentur, quæ inter Divites in parturiendo trucidantur? Quod quidem vix ad aliam cauſam poteſt referri, quàm, quod naturâ ob agreſte vivendi genus non ſolùm firmiore & magis lacertosâ gaudeant texturâ laboribusque indurata; ſed quod illis ob anguſtam domi rem haud fiat copia ſibi nocendi, regimine ejusmodi damnoſo & aleæ pleniſſimo: Errore enim lethali quô multas periiſſe certum eſt (ubi Parturientium conatus graviſſimi ſunt & frequentes, ſed irriti,) ad virium ad auctionem (imprimis ſi commotis ſpiritibus & humoribus febris jam adurat & urgeat ſitis) vinum generoſum, Cinamom ▽. Mithridat. & Calidiora alia immoderatiùs in bilioſis exhibentur: Ex quô non ſolùm nimiòpere incaleſcens captivus Embryo (præter timendam graviorem ſitûs perverſionem) ſi vivus naſcatur, brevioris vitæ eſſe ſolet, vel valetudinarius; ſed & auctô a partu calore, ex aduſtis lochiis graviſſima ſymptomata & plerùmque lethalia emergunt: Et licet non negem, multas præfatô regimine uſas, nihilominùs ex Puerperio feliciter citò, tutò & jucundè evaſiſſe, Fatendum eſt tamen (& ſane dolendum, ſi nobis cum reputemus, quàm facilè ſuo tempore reparandum fuiſſet Puerperarum diſcrimen) plurimas etiam interire, quin & aliæ complures interirent, niſi vel fortunâ vel aliâ re inopinatò adveniente ſervarentur. Quod ſi objiciatur hâc provocantium medicinarum methodo Viros plures Doctos cum Parturientium ἐυφορίᾳ uti, præſertim in Germaniâ, ubi turgent officinæ *Pulverum. Eſſent. Trochiſc.* ad δυςοκίαν ſeu partum, ut ut deſperatiſſimum, provococantium copiâ, (quibus abutentes medicaſtri & aniculæ, temporis horum exhibendorum & moderandorum ignaræ nefando auſu iunumeras de vitâ & valetudine deturbant) tùm ſupponendum eſt, viros illos Doctos, qui ejusmodi δραςηκολάλων provocantium, aut Catharticorum uſum ad partum accelerandum prædicant, ea intelligere Puerperia, quæ poſito ſitu infantis naturali, ſeu ob Matris torpiditatem, aut orga-

norum ſtuporem vel ἀναλγησίαν, ſeu ob debilem aut mortuum, ſitu tamen naturali & homogeneo gaudentem fœtum, abſente Hemorragiâ, ſpaſmo, ſingultu & ejusmodi contra indicantibus, difficulter & lentè peraguntur. Verùm longè aliter ſe res hic habet: Ferè enim ex difficili, diuturno & inani labore, ob vitia alterutrius organica, aut perverſum infantis ſitum exanimis & exhauſta Puerpera, commotis jam æſtuantibusque humoribus ſolvitur hæc in ſudores uberrimos aut ſpaſmos, qui ſoli virium partem magnam adimunt, (quò facit Aëris æſtus fervidior,) labefactatâ ab ὀργασμῷ reſpiratione: Ex quo fit, (1.) ut Fœtus ob diuturniorem ſui incarcerationem tandem neceſſariò pereat, ſolius quippe Artis, haud medicamentorum, licet generoſiſſimorum vi extrahendus. (2.) Matris plùs nimiò, ob vim a medicamentis ſibi illatam, fruſtrà ſatagentis vires funeſto exitu evaneſcant, Utriuſque præſentiſſimo periculo, ob prætermiſſa juvandi tempora & occaſionem a primô ſtatim Parturientis impetu (præcognito diſcrimine) captandam, dùm è contra rebus in præceps ſenſim ruentibus, obortâ ſyncope & ἀσφυξία, frigente artûum apice &c. quæ ſalvâ Matris & fœtûs, aut alterutrius ſaltem vitâ, feliciter in principio ceſſiſſet Operatio, jam ſerò celebretur, quandoquidem ferè omnes tunc deficiant, quas trucidaſſe demùm iniquè culpatur Operator, *ſerò ſcil. medicina paratur. Cum mala per longas in valuère moras.*

THES. VII.

Omninò itaque (qui, ultrà quàm res ipſa loquitur, ſapere nolo.) intellexi *Tutiora* peragi Puerperia, quæ prudenti & ſollicitâ occaſionûm Captatione ad genium Naturæ diriguntur, reclamante, licet immani, ac malè fundato medicaſtrorum utriuſque ſexûs præjudicio, ita quidem, ut naturæ ductum in Fœtu ſtatô tempore, naturali corporis poſiturâ, & conſueto more expellendo ſtudiosè ſequentes, eidem, ſi opus ſit, ſubſidiariam porrigere manum, ubi ſcil. partûs naturalis indicia habentur, juxta præſcriptas regulas annitamur; Vel methodo, quâ utitur, cum aberraverit, natura in inteſtino hoc hoſpite Extrudendo, minimè fidentes, diverſam ac *Tutiorem* e noſtro penu & Artis experientiâ, vice illius, quam inutilem & fruſtraneam, fore laborioſi & præternaturalis Puerperii ſigna in digitant ſubſtituamus. Ex gr. Ex conatibus parturiendi irritis, nec niſi per longa intervalla recurrentibus ferè ad incytas redacta jacet Fœmina ex

intenſo

intenſo clamore rauca, licet a primis doloribus plura ad pellundum fœtum exhibita fuiſſe certum ſit: Adhæc pondus & frigus in hypogaſtrio ſentire ſe aſſerit Parturiens, Venter & mammæ concidunt, frigeſcit Pubes ſinuſque pudoris, ex quò redditur gravis halitus, quandoque *flamma*, Cavantur ferè oculi, Arteriarum motus langueſcit, Crura totumque corpus intumeſcunt, infantis nulla motitatio, ſanies cruenta ex utero manat, Rauca præ clamoribus & febricitans eſt cum pulſu depreſſo; Tandem ex hæmorragiâ perenni, ſpasmos mortis ferè prodromos, ſyncopenque Experitur mulier. &c. An tùm Naturæ & temporis, συμμαχίαν præſtolari convenit? Sicuti ſuadére mulieribus fortunæ temerè fidentes Obſtetrices frequenter ſolent, funeſto morem gerentium exitu, quas attritis fruſtrà enitendo viribus, ne dicam fœtum, ſi vivat adhùc, hàc ratione enecari, ex Phrenitide, aut ſpaſmo exſpiraſſe Aut ſi mortem evaſerit una vel altera, ad ultimum vitæ, quæ brevis eſſe ſolet, terminum ægram duxiſſe animam ſuſpicor. Me quod attinet, longè tutius eſſe exiſtimo, fidenti Naturæ, aut erranti, & dubiæ fallacique ſpei minùs dare, quàm occaſionem, quæ præceps hìc eſt, in utriusque, vel alterutrius diſcrimen negligere, ubi naturæ vires & molimina labore vinci, nec inducias ferre malum conſtat. Sed objicient illi, quibus hæc minùs placent, Naturæ, non Artis eſſe Parturientibus opitulari: Nam ſecùs, ob Artificûm penuriam Humano Generi parciùs ea proſpexiſſet quàm poſtulat ſpeciei conſervatio: Reverà ſpontaneô naturæ motu absque ſuccendiculis Puerperia fieri notum eſt, etiam citra ullius opem, ſalvâ Matre & infante; cùm ſtato tempore cæterisque paribus provolutus directâ corporis poſiturâ maturus infans, Egreſſum ex utero urget maternô, præviâ dolorûm in his levium, in aliis ſæviſſimorum Catervâ, quibus partus abſolvitur naturalis, in quô ſanè moliri quicquam (præter Clinica) nefas eſt. Viceversà quot quantique letho patent aditus, quoties (fato ſic dirigente, vel ob incuriam, aut Divinam Nemeſin pervertitur Parturientium labor, lugubri exemplo Uxoris *Pinebas, Jacobi* & noſtratium Mulierûm quibus in jactantiæ, quâ Liberatoris ſui Cœleſtis immemores Partuûm ſuorum felicitatem prædicare ſuperbè ſolent, pœnam, ſuo lethali damno inculcari Numinis divini Artisque Invocationem & reverentiam videtur; Et quamvis tanta hodiè ſit Puerperarum clades, Artem eſſe inſufficientem non tàm dolendum eſt, quàm

que-

querendum, adeò paucos esse hâc in palæstrâ exercitatos, quibus faveat Benigna *Lucina*: Adde, quod hâc etiam viâ (Fatis ita decernentibus) pateat *Atri janua ditis*. De Cæterô, ut in *præfatione* Artis obstetriciæ Cultoribus quædam observanda posui; Sic, præmissô nostro Tentamine præliminario, Praxin hanc difficilem Aggressurum monuisse juvat, quædam ipsi facienda esse, fugienda quædam ad *Jucundè, citò & tutò* tractandam *Lucinam*. *A jove* Principium ex faciendis nempe (1.) Pietati sic obstetricando, ut in DEO OPT. MAXIMO spem firmissimam reponat, Eumque maximâ cum fiduciâ invocet, suspiriis suis Parturientis ægræ clamori conjunctis; Tandem felicem in Parxi, post exantlata Puerperii pericula, successum, non suæ prudentiæ, sed Auxilio superno acceptum ferat, quô sine nihil Homines providenter auspicantur, nullaque operatio, maximè ἐμβρυουλκία felici coronatur Eventu. (2.) Sollicita occasionûm Captatio, prudensque earundem usus, quibus per incuriam, aut socordiam, aut inscitiam neglectis, inclinatio fit in mortem vel deterius, unde Matris & infantis sacro speciatim Baptismatis Lavacrô egentis discrimina horrenda. (3.) Cauta præsagia, tùm respectu sui & famæ, quàm Puerperæ, ante obitum, si præcaveri nequeat, de salutis Animæ curâ habendâ admonendæ, Adde *usum forensem*, quò facit etiam Cura τῆς εὐθανασίας, ut fiat Excessus e vitâ magis placidus. (4.) Calumniarum contemtum, si Ægrâ vel infantulo citra Artis culpam exspirante ob inevitabilem Parturientis sortem, Infanticida, vel ἀνδροφόνος proclametur, subeatque, juxta *Celsi* prognosticon, famam ejus ut occisæ, quam sors ipsius peremit. Quò prudentiorem proin esse decet quemlibet *Lucinæ* Ministrum, tantòque magis, quod Artem non opificiorum liberalium instar, quæ sub Dio & palàm tractantur, sed clausis oculis & omni Luce, si excipias *Anatomicam* privatus, exerceat, ne suetæ felicitati innixus, præ nimiâ sui fiduciâ, accuratè agenda & fugienda non advertat, unde, vel altiùs penetrando, aut temerariâ pollicitatione datâ, omissis diagnosticis & prognosticis, salutem Puerperarum neglectam fuisse nimis serò conqueratur; E contrà recordabitur sortes Puerperarum in manu Dei esse, adeòque neglecti officii rationes gravissimas Justissimo Judici aliquando reddendas esse: Ideò εὐκρινὴς πρὸς ἅπαντας & φιλάνθρωπος Esto, ne pauperioribus spretis, tantùm opulentioribus vacandum esse sibi putet.

TANTUM.